

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Jonstoni|| Theatrvm|| Vniversale Omnivm|| Animalivm||
Qvadrupedvm

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLV.

VD18 90528808

Caput I. De Ruminantibus Cornigeris in genere.

urn:nbn:de:gbv:45:1-10966

HISTORIAE NATURALIS
DE
QUADRUPEDIBUS
LIBER II.

De Quadrupedibus bisulcis.

TITULUS PRIMUS

De Bisulcis terrestribus.

CAPUT I.

De Ruminantibus Cornigeris in genere.

Aldrov.
de Bisulcis
1.1.c.1.

Haec tenus Solipedum histriam persecuti sumus: sequuntur *Bisulca*: Graecis διχηλή et δισχιλή, quae ungulam dividere in sacris legimus, quod multifida, quamvis pedes in digitos scissos habeant, facere non dicuntur. Duo talium invenio genera, *Terrestre* nempe et *Aquaticum*. Ex terrestribus alia ruminant, alia non. Ex illis, quae ruminant, quaedam sunt *Cornigera*, quaedam *non cornuta*. Illa in genere et in specie considerabimus. *Ruminantia* autem illa vocamus, quae pabulum semel deglutitum, mox ad os regurgitans, revolvunt. Unde Ruminatio actum, Apuleius rumigare, Quintilianus et Plinius, remandere, Graeci μηνύδειν, μηρυκάν, παρὰ τὸ μηρύειν, quod est revolvere, dixerunt. Latinorum quidam a loco, ad quem sursum ad os repellitur, id est, a rumine, quod, ut ait Festus, locus est in ventre, quo cibus demittitur, et unde redit, deduxerunt. At Servius a ruma, quae rumis, et frumen aliis, quam ait eminentiorem colli partem esse, ad quam demissus cibus, a talibus animantibus revocatur: Mercurialis vero ab erumnis, quod Festus de verbor. si gnificat. Vatrol.L. 1.2. Arnob.1.7. contra gentes. scribat, erumnas esse prima in gurgulionibus capita. *Necessariam* autem hisce animantibus ruminationem esse, tum exinde colligas, quod duriore pabulo vescuntur; tum ex eo, quod superioris mandibulae dentibus careant, et inferio-

res minime habeant serratos. Inde factum, ut dentium defectum ventrum multitudine natura pensaret. Sunt enim talibus quatuor, κοιλία nempe, νεκρόφαλος, ἔχων, τύνοστρον, seu venter, reticulum, omasum, abomasum. Gula ab ore incipiens ad pulmonem septemque transversum deorsum tendit: hinc se ad ventrem applicat maiorem, qui partē interiore asper interceptusque est, ac prope gulæ commissuram, simum sibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum appellant. Est enim ventri similis extrinsecus, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multo, quam venter maior. Hunc excipit omasum parte interiore asperum, cancellatum, crustatum, magnitudine reticuli. Abomasum venter ab eo alias iungitur, magnitudine amplior omaso, forma oblongior, cancellis intus et crustis multis, magnis, et levibus innormatus, mox intestinum consequitur. In prima alyi cavitate rūdis adhuc esca certinatur, quin et festucae et vix lacerati surculi. In secundo amplius conficitur cibus, et magis adhuc in tertio elaboratur, ut in novissimo tandem concoctio absolvatur, ubi in cremorem lacteum abit. Nec tam sola illa, quae superiore dentium ordine carent, ruminant. Ruminant namque inter pisces Scarus, quod obtusos dentes habeat; inter animalia, mus vulgaris, et Ponticus, lepus et cuniculus, ut in Levitico habetur.

Galen. I.
de admis-
nistrat
anatom.
c. 3.

Modum et viam ruminacionis si inquiras, cibum remansum ex uno ventre in aliud mitti, quousque a postremo in intestina labatur, respondet Aristoteles. Galenus ait, primo ex ventriculo revomi in os; deinde ab ore in reticulum; inde in omasum; tandem in abomasum mitti. Post lactationem ruminare incipiunt, et septenis mensibus, cicures intellige, ruminant. Gregales levius minusque tempus, quia foris pa-

Plin. H. N. I. 10. c. 73. scuntur. Hieme tamen magis, quam caeteris anni temporibus, videntur que non minus ruminando, quam edendo delectari. Quietem tum posse, vel exinde liquet, quod in mandris plerumque id muneris obeant, iacentia. *Laceorum* solum coire, ipsaque coagulum in omaso habere, et lacte abundare, ab Aristotele proditum. Causas omnium alibi expemus. *Cornua* ruminantibus Camelum si excipias, data sunt, defensionis et offensionis gratia. Nutrimentum quod ad superiores dentes, quibus carent, abire debebat, in cornua abit, suntque multiplicis differentiae. Nec alibi maior lascivia naturae lusit animalium armis. Sparsit haec, inquit Plinius, in ramos, ut cervorum: I. 11. c. 37. alias simplicia tribuit, ut in eodem genere subulonibus ex argumento dicitis; aliorum fixit in palmas, digitosque emisit ex eis, unde platyceratas appellant. Dedit ramosa capreis,

Aristot. H. A. 1. 3. c. 21. Item de partibus. I. 3. c. 15.

sed parva, nec fecit decidua: convoluta in anfractum arietum generi, ceu caestus daret, infesta tauris. In hoc quidem genere et foeminis tribuit: in multis tantum maribus. Rupicapris in dorsum adunca; Damis in adversum. Erecta autem rugarumque ambitu contorta, et in leve fastigium exacuta, ut lyras dices, Strepsiceroti, quem audacem Africa appellat. Mobilia eadem, ut aures, Phrygiae armentis. Trogodytarum in terram directa, qua de cauia, obliqua cervice pascuntur. Aliis singula, et haec medio capite aut naribus: Iam quod aliis ad incursum robusta, aliis ad iustum, aliis adunca, aliis ad iustum plurimis modis, supina, conversa, convexa. Omnia in mucrone migrantia. Haec Plinius, qui differentias a colore omisit. At is quoque variat. Non nullis est simplex, albus, nigricans, cinereus, flavescens: aliis varius, ut in singulis speciebus ostendetur. Habant et proprias quasdam corporis partes cornigera, ut talum et sevum: habent et communes, sed situ differentes, ut uterus, lien, mammae. *Lien* plerisque rotundus: *Intestina* ampliora: *Mammae* eaeque binae inter femora. *Vterus*, acetabula habet, dum partum gerunt. *Talo* quoque permulta instruta sunt, eundemque cruribus posterioribus continent. Sed de his in speciebus plura.

C A P U T II.

De Ruminantibus Cornigeris in specie.

ARTICULUS I.

De Bove domestico.

Aldrov.
Hist. Qua-
drup. I. 2.
c. 1.

*E*t tantum de animalibus qua- drupedibus bisulcis ruminantibus et cornigeris in genere. Species si attendas, sunt inter ea, *Bos*, tam domesticus, quam silvestris, *Ovis*, *Capra* et *Hircus*, tam domesticus, quam silvestris, *Cervus*, *Tarandus*, *Alce*, *Rhinoceros*. A Bove autem merito incipimus, animali, quod sibi omnia fere, quae ad victimum nos et reliqua reponscimus, vendicat. Cuncta

certe legumina frumentaque, ut verbis Vegetii utar, bobus merito aratisque debentur. Vinearum ipsarum usus periret, nisi eorum adminiculis carpenta sudarent. Quid de diversorum munierum comparatione referamus, dum inter mobilia, et quicquid gravius est, absque vehiculis pene reddatur immobile? Reliqua omnia animalia, ipsaeque cohortales aves, ex eorum capiunt labore substan-

Veget. in prolog.
2. Veteris nariae.